



SERENISSIMO
AC ILLUSTRIS. PRIN-
CIPIS AC DOMINO, D. FERDINAN-
DO BAVARIÆ DVCI, EPISCOPO HIL-
DESHEMENSI

&

REVERENDISSIMO ET ADMODVM
REVERENDIS, NOBILIBVS VIRIS AC DOMINIS,
D. Arnolfo à Bucholtz Cathedral. Eccl. Hildeshem.
Præposito.

ADM. R. ET NOB. D. HEIDENRICO
A LETHMATE DECANO:

CETERISQVE RR. AC NN. DD. CA-
THEDRALIS ECCLESIAE HILDES. CAPITVLARI-
bus, DD. ac Patronis opt. & bene me-
ritis.



*V*M omnis animi agitatio, vel in consi-
liis capiendis quæ ad bene beateq; viuen-
dum conducunt, vel in abditissimarum
rerum cognitione & veri vestigatione
versetur, semper equidem in vitio hoc lit-
eratorum genus, posui, qui cum multũ
opera studijq; in res difficiles, nec necessarias conferre so-
lent, facile ab ijs se studijs abduci patiuntur, quorum ex-
ercitatione virtutis splendor, & Reip. parari dignitas,

Aa 2

consti-

DEDICATIO.

4
 constituique, potest. Praclare enim sensit; qui virtutis
 laudem omnem, actione contineri dixit. In huius re-
 gno maximè naturam attingit humanam Prudentia;
 quam illustrium hominum instituta, & præclara ex-
 empla ornant non modo, & nutriunt, sed mirè am-
 plicificant & corroborant. Quis enim quamuis exigua
 natura bonitate præditus, & rationis scintillula vel mi-
 nimâ respersus, ad eorum, qui virtutis aut ingenij ma-
 gnitudine, aut eccellente morum innocentia, & sapi-
 entia quadam celesti, aut utraque re ornati sunt, imi-
 tandum studia, institutaque collaudanda, natura im-
 petu non impellitur aut inflammatur! Magnam vo-
 bis facem præferunt Serenissime Princeps, Nobilissimi
 & Ornatissimi viri; magnum, inquam, in ista cir-
 cumfusa caligine & hæresis nocte accendunt ignem,
 innocentissimis moribus Pontifices & immortalitate
 dignissimi SS. Bernwardus & Godehardus: qui, ut
 constare in illa prisca religionis & auitæ pietatis tan-
 toperelabefactatæ perpetuitate possitis, vobismetipsis, nec
 in vlla Orthodoxæ fidei semita claudicare, præceptis &
 exemplis vos urgent suis, monitis adhuc sollicitant, & as-
 siduis apud Deum Opt. Max. precibus, impetrant. Equi-
 dem dubitare nunquam soleo, incredibilem quandam
 cum fructu voluptatem haurire Beatas illas Animas,
 quæ in Cælum receptæ sempiternum & letum cum Deo
 iam suum degunt, cum Deum in suis præclaris facinori-
 bus laudari; & eius in hominum genus admirabilem be-
 neficentiam prædicari, & extolli, intelligunt. Et si enim
 diuina illa & suprema Numinis Maiestas tanta sit glo-
 riæ luce circumfusa, ut præconio nostro magis videatur
 laus

DEDICATIO.

5

laus eius obscurari, quam augeri, laudari tamen ipsa nõ
 solum ab hominibus vult, sed gloria quoque sua fructum
 in eos, quos honore & beata quadam vita cumulauit, af-
 siduè deriuari. Quod cum ita sit, ego profectò, tanquam
 huius rei sensus quidam ad ipsos **SANCTOS BERN-**
VWARDVM & Godehardum peruenturus sit, eorum
 Diuorum vitam, sanctitatem & gloriam vobis admo-
 dum R^{di} & Nob. viri etiam atque etiam commendo: non
 quod ad ipsorum fame & sanctitatis opinionem, hac cõ-
 mendatione mea, & studij professione, quicquam adijci
 posse statuam: sed quod tanquam bonus officiorum æsti-
 mator, tantum à vobis in Collegio, quod istic habetis, tu-
 endo & ornando, tributum esse hic palam profitear, ut ad
 calculum si res vocetur, & ego gratiam habendo, & ean-
 dem exsoluendo ceteri paria nunquam facturi simus: ni-
 si vetus illud nobis patrocinetur, ut, Gratiam qui retule-
 rit, habere, & qui habeat retulisse censeatur. Fulda in Col-
 leg. Soc. IESU MDCXIV. Idibus Augusti.

Amplitudini vestra
 Deuotiss. Cliens,
 Christophorus Brouverus.